

65
LXII.
65
Justa funeris, sive Parentalia

MEMORIAE ET HONORI

JUVENIS ORNATISSIMI, CLARITATE generis, doctrina & virtute præditi, LAURENTII BIDERMANI, patri suo Viro clarissimo, J. U. Doctori, ac Cancellario quondam Anhalt. &c. cognominis, Magni illius D.

MATTHÆI VVESENBERGII, ex matre Ne-

potis,

Facta

Verfibus epitaphijs & epicedijs à Præceptoribus, condiscipulis, atque amicis, quorum sua singulorum Poematijs nomina sunt subscripta.


Vnà cum exemplo programmatis, sive indicio funeris, publicè proposito ab illustris gymnasij Servestani Rectore.

SERVESTÆ

Imprimebat Christophorus Vveida

Anno 1608.

65.)





RECTOR IL-
LUSTRIS GYMNASII BO-
NARUM ARTIUM ET DI-
sciplinarum Studi-
osis S.



Uod ingenij princeps, idemq; non
intelligendi solum, sed etiam dicen-
di gravissimus autor & magister,
Plato scripsit, DEUM, si civitatem
aliquam punire velit, viros ex ea præstantes
auferre, id non de his duntaxat, qui ætate
sunt virili, atque adeò provectiore, intelli-
gendum esse existimatur, sed etiam de adole-
scentibus sive junioribus, atque omninò ijs,
quorum virtutis, doctrinæ, ac meritorum
messis etiam dum in herba est, interpretan-
dum. Quemadmodum enim, non frugum
modò calamitas, annonæ parit caritatem, sed
etiam segetis adhuc herbescens detrimen-
ta, malo cedunt rei frumentariæ: ita interi-
tus adolescentiæ & juventutis, quæ civitatis

A 2

quasi

quasi flos quidam est, conjunctus est cum præcipuo damno & pernicie Reipub. totius. Quapropter prudentem illam Lacedæmoniorum civitatem, non ætatis solùm maturæ, sed adolescentis quoque rationem habuisse, *ῥιχορία* illa in solennibus conventibus, secundùm tres ætates apud illos instituta, atque cùm aliorum mentione, tum Plutarchi in primis uno atque altero commentario celebrata, manifestò videtur comprobare. In illa enim, chorus senum primus canebat: *ἄμες ποτ' ἤμεσ ἄλκιμοι νεανίας*, hoc est, Juvenes eramus olim Marte strenui: cui respondebat accinens eorum, qui ætate florebant, chorus, *ἄμες δὲ γ' ἰσμεν· αἱ δὲ λῆς, αὐγαίσδεο*, q. d. Tales sumus nos, experire si libet: Tertius denique, qui puerorum erat, tandem succinebat, *ἄμες δὲ γ' ἰσόμεθα πολλῶν κάρρονες*, id est, At nos futuri strenui magis sumus. Unde planum fieri posse arbitramur, (rectène ansecus aliorum esto judicium) inter malorū & pœnarum nobis imminentium portenta, atq; *Ante oculos intèrque manus versantia nostras* (ut Maronis versum paululùm immutatū

tum

tum huc accommodemus) rectè accenseri
posse, obitum juventutis ; cujus ætatis ma-
turity, magno aliquando Ecclesiæ, & Scho-
lis, ac Reipublicæ usui & ornamento esse
potuisset. Cujus quidem mortis imma-
turæ exempla, tam privata quàm publica,
cùm alibi locorum, tum in hac Schola nostra,
paucis retro annis, non absque perturbatio-
ne, dolorisque ac commiserationis acerbi-
tate, nonnulla hæctenus vidimus; tum nu-
dius tertius satis triste ac luctuosum nobis
spectaculum præbuit is, cujus funus nunc in-
dicimus, LAURENTIUS LAURENTII
J. U. Doctoris celeberrimi, ac Cancellarij
nuper Anhaltini &c. F. BIDERMANUS,
cùm parentum suorum, tum maximè avi ma-
terni, Magni illius MATTHÆI VVESEN-
BECII, de quo silere præstat, quàm pauca
dicere, celebritate nobis carus & commen-
datus. Qui Vvitebergæ anno O. R. supra
millesimum quingentesimum octogesimo se-
ptimo, mensis Novembris Juliani die XXVII.
in lucem editus, nondum completo ætatis
suæ climacterico tertio, non absque singulari

A 3

desi-

desiderio ac luctu matris honestissimæ, vidu-
æque mœstissimæ, lacrymisque propinquo-
rum, in vivis esse desijt, commutata cum
morte vita hac mortali, atq; ærumnis & mo-
lestijs referta plurimis. Educatus hic à pa-
rentibus liberaliter & sollicitè, ac primùm
Dessæ, pòst in hâc scholâ Senatoriâ diligenter
à præceptoribus institutus, fundamenta jecit
bonarum literarum, magnâ cum spe & expe-
ctatione singulari, futuri aliquando in bonis
artibus & disciplinis progressus, cùm ipsi tum
parentibus, & ijs, quorum opera in studijs
pueritiæ suæ & adolescentiæ, usus fuerat, mi-
nimè pœnitendi. Itaque superiore anno, de
ipsorum consilio & voluntate, in Academiâ
Marpurgensem celeberrimam missus, quod
à fide dignis accepimus, operam isthic dedit
Professoribus doctissimis, atque in primis Ju-
ris utriusq; peritissimis & antecessoribus, V.
V. Clarissimis DDnn. DD. Hermanno Vul-
tejo, atq; Antonio Matthæo, quorum & do-
ctrinam publicam, & disputationes in arte
Juris habitas, diligenter frequentavit: cùm
in politicis audiret Philosophum eximium,
Rhodol-

Rhodolphum Goclenium , in historicis Dn.
Kirchnerum J. U. D. linguam præterea Ita-
licam , ab hujus interprete Viro ornatissimo
Catharino Dulci addisceret. Ceterū, ut in re-
bus humanis , secundū sapientissimi Poëtæ
versum

nihil est ab omni

Parte beatum ;

Et , ut Lucretius præclarè cecinit ,

medio de fonte leporum

Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat:
ita cursum hunc studiorum illius non infelici-
ter inchoatum , subito valetudo invertit ad-
versa. Sub finem enim mensis Octobris, anno
eodē, in morbum incidit Epilepticū, cum quo
graviter conflictatus, accedente ad illum ma-
gna viriū corporis afflictione atq; imbecillita-
te, de consilio præceptorum suorum, & in pri-
mis Reverēdi & Clariss. Viri Gregorij Schön-
feld , sacræ Theologiæ Doctoris , atq; Eccle-
siæ Marpurgensis pastoris, & antistitis fidelis-
simi vigilantissimique , A. D. XII. mens. Fe-
bruarij huc reversus est : ex eoque tempore
curatione morbi per excellentiss. Medicum
Dn. D. MARTINUM COPUM affinem suum,
itémque

itémque per Collegam nostrum, Virum clarissimum D. JOHANNEM SAGITTARIUM, accuratè suscepta, cùm neuter artis & industriæ suæ quicquam reliquum faceret, vi morbi invalescente indies, parùm profectum fuit; præsertim cùm ad malum illud Epilepticum accederet etiam ventriculi imbecillitas, quam ceterorum membrorum subsecuta est *ἀπνία*, & consumtio, donec repentino tandem catarrho, ad pulmones cum paroxysmo Epileptico ingruente, extinctus est die XX I. mens. hujus, circiter medium noctis, post invocationem piam & ardentem unici SERVATORIS nostri CHRISTI JESU, fideique suæ confessionem editam, piè & placidè confopitus, cùm toto biduo, quod illius obitum præcessit, exigua de vita illius diuturniore spes esset reliqua. Itaque verè exclamare possumus, usurpando de obitu illius immaturo illud Pindaricum, *τί δέ τις; τί δέ ουτις; σκιᾶς ἄναρ ἀνθρώπου*, h. e. Quid est esse aliquem? quid verò esse nullum? Homo umbræ est somnium: vel potius illud Jacobi Apostoli, *ποῖα γάρ, ἡ ζωὴ ὑμῶν; ἀτμὶς γάρ ἐστιν ἡ πρὸς ὀλίγον φαινομένη*,

Φαινομένη, ἐπιτα δὲ ἀφανιζομένη, id est, Quæ est enim
vita vestra? Vapor enim est, qui ad exigu-
um tempus apparet, & deinde evanescit. Qui-
bus verbis vitæ humanæ fragilitas, sole, quod
dicitur, meridiano clariùs repræsentatur.

Cùm autem funeris deductioni, quam,
unà cum humanitatis jure, lex divina nobis
imperat, dicta sit hora à meridie secunda,
hortamur & monemus universos & singulos
jurisdictioni scholasticæ subjectos, ut ad exe-
quias illas conveniant frequentes, ante æ-
des, ex quibus piè defuncti corpus ad locum
sepulturæ efferetur; præstituri hoc supremi
honoris officium mortuo ipsi, propter studi-
orum communium conjunctionem; tum
hac sui q. doloris & luctus societate, ac συμπα-
θεία, digna in primis ordine nostro, qui pieta-
tis & humanitatis studia profitetur, allevatu-
ri non nihil mœrorem matris, filio carissimo,
atque inter eos qui superstites sunt natu
maximo, orbata; daturi præterea hoc fami-
liæ ipsius honestissimæ, suisque in rempub.
literariam meritis amplissimæ. Quod ut
pro se quisque in officio pio, quantumvis lu-

B

ctuoso,

et uoso, lubentius ac studiosius faciat, excitabit insuper unumquemque suæ ipsius mortalitatis, ac fragilitatis humanæ cogitatio, & jam jam imminentium, ac fores pulsantium, quæ publicarum, quæ privatarum calamitatum meditatio, quarum πρόδρομοι sunt præceptorum illis, DE I misericordis benignitate & clementia, obitus adolescentum frequentes, non carentes illi quidem præfagijs tristissimorum eventuum; quos ut ab Ecclesia Filij sui, & hac Sareptula nostra, avertat parens misericordiarum, votis & precibus ardentibus supplices oramus. P. P. Ser-
vestæ A. D. IX. Cal. Junias Juli-
anas MDCIIX.




PSAL.



PSAL. CIII.

Benedic anima mea Jehova, &c.

Psalmus hic, quem, post obitum filioli infantis, David quasi extra sese in celos usque abreptus, cecinisse putatur, insignem continet, verbisque ac sententijs elegantibus illustrem gratiarum actionem pro beneficijs, tam spiritualibus quam corporalibus, quibus Ecclesiæ suæ populum DEUS affecit: ad cuius tam benefici, & misericordis, ac clementis DEI laudes concinendas, non homines duntaxat, sed ipsos quoque beatos spiritus regius Propheta exhortatur, inserta simul memorabili fragilitatis vitæ humanæ mentione, divinæque majestatis descriptione magnificentissima.

I  *Nova fert animus laudum præconiamentem;*
Mens, animi penitas, si quis vigor,
exere vires;

Excutiensq; tui penetralia pectoris ima,
Prome DEO laudes, nomen venerata Jehova.

2 *Divina mens ô bonitatis gnara, memorq;*
Laudes ore pius, fer grates corde, Jehova.

3 *Qui venia indulgens, culpa te crimine soluit,*
Et vitij saniem, primævaq; vulnera sanat,
Consortesq; horum, peccati germina, morbos.

4 *Expedit & vitam leto; letiq; redemptum*
Compedibus, stipat fecunda sorte bonorum,

B 2 *Exprens*

- 5 Explens osq̄ tibi jejunaq̄ viscera pastu;
Atq̄ tuam, senium ponentis prae petis instar,
Vernantis renovat juvenili flore senectam,
Ut vegeas, vigeasq̄, tuis integrior annis:
- 6 Jus reddens inopi, fraudemq̄ Jehova coercens,
Nectentem laqueos probitati, vimq̄ parantem.
- 7 Ille vias recti, sanctarum interprete legum,
Amramida, Isacidas docuit: totq̄ edidit ipsis
Testibus, attonitaq̄ Pharo, miracula rerum;
Omnipotens, cujus non clauditur aequore virtus:
- 8 In veniam effusus, parcusq̄ Jehova furoris,
Ad poenas piger, ad meritum premia velox.
- 9 Ergo nec excercet memorem implacabilis iram,
10 Nec juris plectit fontem delicta rigore,
Nec poenam nostrae metitur pondere culpae.
- 11 Quantus enim aetherias celi suspectus adoras,
Orbe quod immenso subjectum amplectitur orbem:
Tanta suae, majorq̄ modo, bonitatis in omnes,
Quotquot eum reverenter habent, mensura re-
dundat. (undis,
- 12 Quam procul occiduis veniens sol distat ab
Quam procul Austrino Boreas secluditur aestu;
Haud propius noxae à nobis jubet ire reatum.
- 13 Ceu patris teneros fovet indulgentia natos,
Sol-

- Sollicita eductos opera quos curat, amatq;
Haud secus ipse sui metuentes numinis, equo
Fert animo, patrio complexus amore Jehova.
14 Namque ipsum nostra non fallit fabrica massa,
Pulveris illuvies animati, auramq; trahentis,
Inq; auras animam rursus exhalantis inanes.
15 Quale rose violaeue genus, quam manè
comantem,
Puniceiq; decus pandentem floris amœnum,
16 Pestifero mox afflatu necat halitus Austri,
Oblitam decorisq; sui, ignaramq; locorum,
Quæ modò coccineo fuscabat opaca galero:
Talis vita hominũ; vix terræ ostensa relinquit
Dona, suum feni mutans marcore vigorem.
17 At bonitas servat tua certa, Jehova, tenorem,
Certa tenaxq; pijs, seclorum nescia metas;
Justitiaeq; fides ad seros usq; nepotes
18 Porrigitur, firmo qui fœdere pacta tuentur
Cum patribus sancita, tuarum scitaq; legum,
Obsequio, Et cura peragunt mandata fideli.
19 Ætheria solium statuit sibi in arce Jehova,
Unde suo terras, mare, sidera, numine complet;
Regnorumq; potens, frenat moderamine reges.
20 Angelica manus ergo armis invicta cohortis,

B 3

Turma

*Turma ministerijs ad nutum accincta Jehova,
Ut verbi accipias referenda oracula mundo;
Integra laudes, hymnum modulata canorum.*

*21 Gratantum, ter iò ter iò iterate Jehova,
Aligerum legio, rapidi perniciosior alis
Fulminis, ut rerum Domini mandata capeffas.*

*22 Ad laudes celum accingere, solumq; Jehova,
Quaq; capit medio mundi domo ampla teatro,
Voce creata DEI, celiq; soliq; parente:
Illius imperio parentia, subdita regno.*

Prome DEO laudes, mens ò mea, prome Jehova.

Gregorius Bersmanus.



Ad manes defuncti.



*Ita brevis, brevior fortuna, brevissima meta,
Qua cum fortuna vita beata viget. (nis,
Laurenti exemplo es, te cum juvenilibus an-
Bidermane, necis sustulit atra manus.*

*Patri magnifico fueras cognominis ipse,
Fati ast dissimilis cursus utrique fuit.
Auctus honore parens; moerore extinctus & idem,
Annis, ærumnis, invidiaque satur.
Impubi investi que gena, sed flore juventæ
Decusso, flos ceu marcidus ipse cadis.
Jam patri similis recreato in sede triumphas
Coelorum: ò etiam hæc patria nostra fiet!*

M. Caspar Ulricus.

ALIUD

A L I U D.

Alloquor extincti manes, cinerésq; beatos,
 LAURENTI, ad superos cum tua mens
 Este salutati manes, cinerésq; beati, (abijt.
 Vos eritis sicci temporis exiguo.
 Instat enim tempus, quo vos sine fine bibetis
 Æternam lympham fluminis atherei. (tur,
 Ac conjungentur, quæ nunc disjuncta viden-
 Cum summa CHRISTUS venerit arce poli.
 Interea Genitrix posuit monumenta, pijsq;
 Vos cineres lachrymis mesta rigare jubet.
 At cujus cinis hic? queras fortasse viator,
 Egregij, juvenis, pectoris atq; pij.
 Floruit ille satis, fuit & spes magna Parentum,
 Sed florem tenerum mors violenta rapit.
 Ossa jacent tumulo, patrij sed gloria restat
 Nominis, atq; decus posteritatis erit.

Joannes Sagittarius
 Medic. D.

A L I U D.

Hic BIDERMANNUS non multo tempo-
 re ludo
 In Sorabûm voces hauserat aure meas.
 Indolis

Indolis egregiæ, vegetoque in corpore magni
Ingenij referens pectore & ore decus.
In celebre hinc missus defuncto patre Lyceū,
Nobile Cattorum munus opusq; ducis.
Nec mora, perfertur nobis hūc fama, quod
Juris, cum verâ relligione colat. (artem.
Sed non passa diu Parca est nos munere tan-
Et tanta famæ prosperitate frui. (to,
Incidit in morbum subitò, patriūmque re-
ductus (diem.
Sub tectum, tanquam flos, cadit ante
Sicut eum tremula moribundus voce citarat,
Se properéque sequi jusserat, ipse pater.
Scilicet in fatis erat hoc: sed in æthere summo
Nunc facie fruitur lætus uterque DEI.

*M. Johannes Ursinus,
Scholæ Servestanæ
Prorektor.*

A L I U D.

*S*ic est: massa sumus pulverulenta nos:
Quin & massa sumus crimine fœda nos:
Ergo funeris omnes
Urget se va necessitas.

Hinc

Hinc commista senum & funera fortium
Visuntur juvenum, nec pueris, neque
Primis parcitur annis,
Inclusa est utero lues.

Quod jam non tepido, fata monent pios
L A U R E N T I juvenis, volvere pectore:
En surgebat in auras,
Momento exanimis cadit.

Ortus patre bono, quem celebrem magis
Fati res faciet mira novi, fides
Et servata J E H O V A E
Et tutela manus D E I.

Felix ille quidem, quem D E U S improbi
Seculi tam varijs eripuit malis,
In caeloque vocanti
Dudum restituit patri.

Felix est juvenis mors citior pij.
Tam longos onerant multa dies mala:
Nostra est lerna malorum,
Et verè barathrum caro.

Et quid vita aliud quàm labor & dolor?
Quid mundus? scelus est, & mare naufra-
In quo corde fideles (gum,
Contrito assiduè gemunt.

C

Ab qui

Ab qui vita manes ipsa D E U S , doce
Mortem commertos quòd positum mori,
Et leti medicinam
Inspira solidam fidem.
CHRISTI in sede mihi quis dabit aethere,
Nostro cùmque D E O vivere quis dabit?
Non me terra, dolorum &
Curarum hospitium, juvat.
Quòd si nos animus vellicat, & putat:
Heu quàm terribile est, pallida mors, malum!
Lucta pressus in illa
Quis firmam teneat fidem?
Nam tunc concutiunt monstra hominẽ omnia,
Æternum una brevis pugna dat exitum,
Hostes, conscia culpæ
Mens, Dæmon, erebi metus.
Nite certa D E I gratia traxerit,
Non est in proprio corde tibi fides:
Nescis, retrahat illo
Momentone manum D e u s?
Insurgat fidei motus alacrior,
Et mentes parvidas hac recreet vice:
CHRISTI ex fœdere nulla
Electum rapiet manus.

Pertexet

Pertexet bene, qui cœpit opus bonum,
Inprimisq; anime tunc aderit manu

Forti, deq; profundis
Electum expediet caput.

Sic hærens Domino cùm ingemina vero:

Et carne atque anima deficientibus

Solus vita J E H O V A est:

Felix transferar ad D E U M.

Samuel Fabricius Islebiensis,
Ecclesiæ Servestanæ verbi
minister F.

A L I V D.

Qui viduæ spes matris erat, qui gloria
gentis,

Qui coluit sancta simplicitate Deum,
Exuvias posuit tumulo L A U R E N T I U S isto,
In flore ætatis mortuus, ecce, suæ.

Quisquis eris, ne spem longæ tibi finge sene-
ctæ: (fugit.

Quo minimè credis tempore, vita

*M. Isaac Gregorij, Reipub.
Servestanae Camerarius.*

C 2

ALIUD

ALIVD.

L AURENTI, nisi florentis Morta, improba
Morta,

Nescia vel Regis parcere stirpe sato,
Ante diem vitæ legisset fila, suâq;
Cœptum incidisset falce, maligna, tuum:
Facturam, minus immaturâ morte, Parentis
Tempore qui visses restituisse suo.

Quodq; tibi infanti quondam posuere Parentes,
Nominis implèsses fatum utriusque brevi.
Namq; ubi præclaro, docili jam mente, Parentis
Imbiberas veri, munere, jussa DEI.

Sedulus in nostro didicisti semina ludo
Linguarum, & varias impiger artis opes.
Queis veluti fulcris studiorum fretus & alis
Jam majora animus tentat adire tuus.

Ad patrios residere focos negat amplius; unde
Maturè in celebrem tendis abisq; scholam:
Quam nunc magnificè Dux Cattorum inclutus
ille (fovet.

MAURICIUS, multâ clarus ab arte,
Quidnam ibi præstiteris, quæq; expectanda fu-
issent,

Vix includi Elegis hæc, puto, posse meis.

Quattuor

Quattuor impleras vix lustra: En munera lin-
Callebas Graja doctus & Ausonia, (qua
Nec contentus ijs peregrinas addis, & una
Evolvis Juris librum utriusq; sagax.
Inde domum insigni doctrinâ clarus & arte,
Curandi morbum mente, reversus obis.
Nempe homini propriū nihil est, quod præ-
coce surgit (cadunt.
Flore; citò heu, surgunt quæ citò cunq;
Tūne cadis? minimè, quanquã cecidisse videris:
Celestem in patriam victor ab hoste redis:
Victor ab hoste redis triplici: Tibi nempe, duello
Vno, est cum Mundo & Demone victa Caro.
Vnde triumphali devinctus tempora LAURO,
CIVIS in aethereâ sede BEATUS OVAS.
O Juvenes, vegetæ nimiùm ne fidite vitæ,
Mors horâ, quâ non esse putetur, adest.

Petrus Jhena Servestâ-Anhaltinus
Scholæ patriæ Collega, declarandæ Fa-
milix moestissimæ $\sigma\upsilon\mu\pi\alpha\delta\epsilon\iota\alpha\varsigma$ $\epsilon\upsilon\epsilon\kappa\epsilon\iota$ F.

A L I U D.

HAecte, LAURENTI, gremio comple-
ctitur arcto (go fatu.
Terra, BIDERMANI digna propa-
C 3 Spes

Spes viduæ, solatiolum, requiesq; parentis
Nuper eras; quid nunc? nil nisi moestitia es.
Vincere dignus eras vivendo Nestoris annos,
Egregius Juris cultor, & artis amans.
In te clarebat patris & reverentia matris,
Ad quos formabas teque operasque tuas.
His jucundus eras, curisque utrosq; levabas,
Moribus & studijs lætitiámque dabas.
At nunc in luctus versa est hæc atq; dolores,
Optime LAURENTI, dum cadis ante diem.
Sed quis supremo patri certando resistat?
Mirandis sanctos corripit ille modis:
Donec eos celi superam traducat in arcem,
Nati ut possideant regna beata sui.
Huic quoq;, LAURENTI, vivus moriensque
Deditus, & solâ justificante fide. (fuiſti
Inde, tuum corpus quamvis tellure tegatur,
Mens tamen in CHRISTI sanguine pura
viget. (ossa,
Ille BIDERMANI tumulus qui contegit
Hoc vult: CUM CHRISTO MENS PIA
SEMPER AGIT.

*Paulus Rholeder Meringensis,
scholæ Servestanae Collega F.
MA*

MANES

DEMORTUI LAURENTII.

TEmpore dum leto vixit pater, hoc quoque
vixi, (cidi:
Dum cecidit tristi tempore, Et hoc ce-
Nam velut ille, mari ne jactaretur acerba
Sortis, ad aetherei se tulit astra poli:
Sic ego, ne tempus caro sine ducere patre,
Cogerer, hunc volui in secl. beata sequi:
Mortuus hinc non sum, quia non plus vivere
possem,
Sed quia tristi animo vivere non poteram.

M. Carolus Sachsius Laurentio
Bidermano amico desideratiss. F.

A L I U D,

LAURENTIUS BIDERMANVS

αἰαχαμπαλιζόμενος.

ANNVS LETI DVBIVS: ARMER.

Siccine te ante diem mors invida tollit, amice,
Invida quæ florens nil finit esse diu?
Scilicet exemplo vivo nos instruis, æquum
Imperium in juvenes esse senesque necis.
Mista senum ac juvenum densantur funera: certa est
Mors, incerta nimis mortis at hora latet.
Idque tui inversus nos nominis erudit ordo:
LETI hominem DVBIVS quemlibet ANNVS habet.
ARMER

ARMER ego, a jebas igitur, moriturus in ævo
Hoc viridi contra spicula sæva necis.
Sic animam CHRISTO vernanti flore dedisti
Aetatis, vitæ spem melioris habens.
Hic moritur juvenis, quem diligis, alme JEHOVA;
Orbis enim cunctis solvitur ille malis.
Et te, LAURENTI, pravo DEUS abstulit orbe,
Huic quia præ multis carior unus eras.
Ergo vale, & celi meliori in sede locatus,
Abrahæ capias gaudia vera sinu;
Donec humo corpus redivivum, animæque fideli
Junctum iterum, vita perpete JOVA beet.
In meritum & CHRISTI hoc nobis fiducia spondet,
Nescius & veri est fallere sermo DEI.

*Amicus posuit amico, dum viveret carissi-
mo, Dn. Laurentio Bidermano*

M. Martinus Vierthalerus
Cothenus.

A L I U D.

*S*iquid in humanis divina potentia rebus
Constituit certi, cujus quoque conscius esse
Possit homo, MOR S est, antiquo ex fœdere sol-
vens

*Corporis atque animi junctissima vincula, nobis
Horrenda iccirco, & Naturæ inimica parenti.
Certa tamen non vult concludi tempore certo:
Terminum in quemuis liberrimus; Embryo nullis
Legibus*

Legibus exceptis hic gaudet, sicut & infans,
Et juvenes, fortesq; viri discrimine nullo
Ad letum rapiuntur, adhuc vegetante calore,
Decrepitæq; senes prætere jura senectæ
Ridetur. Viget hæc lex semper **J A M M O R I E N -**
D U M E S T. (idem,

Quisquis in hanc igitur lucem, moriturus &
Editur, ut potis est internis sensibus uti,
Quid ducat prius aut potius, quàm tempus in horas
Dividat, atq; horas momenta in singula, cunctis
Fata animo intrepido supremæq; funera volvens?
Felices illi & fortes, cum proxima morti
Hora supervenit, atq; abituros impetus urget.
Quàm placidè mentem componunt, & sibi missa
Celitus auctori **J E H O V Æ** sua dona remittunt.

Id me bis, fateor, doleo vidisse; quid? immo
Gaudeo, ne rectam mea fallat opinio mentem.
Sic vidi **V V E S E N B E C I U M** concedere fati
P E T R U M M A T T H Æ U M, præclaræ nobile germen
Gentis, & hunc dignum, centum vixisset ut annos.
Qui probitate suâ sibi quos devinxerat, omnes
Morti immaturæ propè fecerat indignari.
Sic vidi nuper **L A U R E N T I** mollia fata
B I D E R M A N I, in quem, prob, impetuousa ruebat

D Mors

Mors aditu primo juvenem prosternere tentans.
Ille, quod adversis medeatur casibus unum,
Haud expers, animum contrà erigit, atque ferendo
Vincit; ut, immanis quæ se ostentâr at atroxq̃,
Esse videretur vix præsens sine propinquo.

Vn bell
morir
tutta la
vita ho-
nora.
Et
La vita
il fine, e'l
di loda
la sera.

Hoc satis; adstantes toto sibi corde precari
Talem obitum. Verum est ita quod gens Itala
vulgo (HONORI

Fert, MORTEM PULCRAM VITÆ TOTIUS

Et CEDERE: nam rarò delent oblivia mortem.

Julius Etzlerus Laurentio Bi-
dermano discipulo cariss. Imq̃. F.

ALIVD.

Ergo, quod in votis solum propè mater habebat,
Hoc noctesq̃ trahens, hoc iteransq̃ diem,
Non erat in fatis, ut lauri more virescens
LAVRENTI ferres gaudia longa sibi?
Non erat in fatis, nota ut vestigia magni
Vel sequerere patris, vel sequereris avi;
Aut laude utrumque exprimeres, ceu nomine patrem.
Par olim Themidos fama, decusq̃ Dices:
Sed morte occideres, properata hei! morte peremtus.
Ceu flos, pestiferi quem necat aura Noti:
Hei! vegeta occideres in vere ætatis, & ante
Septima ter messis quàm foret acta tibi:
Occideres, tecumq̃ adeò virtutis & artis
Expectata omnis messis ut occideret?
O fluxas hominum spes! ò vota irrita! certæ
Sic horâ incertâ cuncta perire necis!

Certæ:

Certa: nam seriem tabula hanc durantis in ævum
Lex rata præscripsit, duro adamante, DEI.
Quòd mandata, nihil veritus, violare IEHOVAE,
In vetitum es demens lapsus Adame nefas;
Morte lues meritam, sic stat sententia, pœnam:
Pœnam pro culpa crimine morte lues.
Pulvis es, infelix! in eundem morte redibis
Compare cumque tua, postgenitisq; tuis.
Hinc membra atq; artus obsedit, ut agmine facto,
Pallida vis morbi, tabificaq; luis,
Ac pestes, omnisq; mali quàm multa propago est,
Ipsius & vita deniq; discidium:
Quod manet hunc citius, manet illum serius, immo
Ante ortum multos, præstituentem DEO.
Præstituentem DEO in nostrum, quos jacta vel ante
Fundamenta orbis legit, amatq; bonum.
Legit in Vnigena, atque adeò dilexit, ut ipsum
Iusserit in terras sede migrare poli.
Qui nostro acciperet de sanguine membra, cruenta
Non tamen, ut noxa, nescia membra necis.
Nostrorum ut scelerum sordes maculasque lavare
Innocui posset sanguinis amne sui:
Securòsque sua nos mortis morte perennis,
Perpetua & vita reddere participes.
Hæc viduam admoneant Matrem, sociosque doloris,
Quem, lugens Natum, pectore mater alit;
Hæc, inquam, luctus intra subsistere fines
Admoneant, lacrymis hæc posuisse modum:
Nec similem turbæ questum ingeminasse profana,
Cui vita spes est à nece nulla super.
Scilicet ipse etiam, patris haud sine numine summi,
LAVRENTI hoc avo floridiore cadis.

D 2

Nam,

Nam, qui consilio rebus sapiente creatis
Constituit certas hoc super orbe moras:
Et rata nascendi, moriendi & nomina fixit
His, mundi elegit quos bonus ante chaos.
Ille, suis quid opus, cernit; quod cernit, amore
Vult patrio; quod vult, numine & ille potest.
Felix, arbitrio qui hujus permittere novit
Arbitrium sortis, mortis & omne sua!
Namque, bono non posse bonis non cedere, discet,
Quod summo est visum, quod placitumque patri.
Is miseri spatij tibi quod brevioribus ævi
Tempora contraxit, fecit amore tui.
Scilicet ex hortis mundi, tua in aetheris hortum
Mens translata, DEO leta vegente viget.
Inter ubi Genios, Genijs junctasque piorum
Felices animas, gaudia quanta capit!
Non labor, aut luctus, non hec dolor anxius inter-
Rumpet, in aeternos perpetuanda dies.
Tanta nec orbe super tetigerunt ullius aures,
Tanta nec humanis cognita sunt oculis.
Tantum, nullam fragili hoc in corpore, imago.
Vllius est mentem post subitura viri.
His quod, spe citius, tibi nunc, demtoque potiri
Fide IEHOVA dedit, fecit amore tui.
Scilicet ossa quidem, tineaesque obnoxia membra
Materno tellus nunc fovet arcta sinu:
Membra levem in cinerem tandem redigenda, lutumque,
Ortus principium materiemque sui.
Mox tamen inde novos artus, nova membra resurget
Stellata rediens CHRISTVS ab arce poli.
Atque animata iterum referet sub lumina solis,
Solis luminibus lumine & aqua suo.
Atque animam aeterno, cum corpore, federe junctam
Ducet in aetherias, regna paterna, domos. Hic,

Hic, velut illa prius, simul hoc gaudebit orantis
Letitia plausu, tempus in omne, pari.
Hec ad leta consortia surgere corpus
Mox CHRISTVS faciet non nisi amore tui.
Interea, mente astra colens, propiore fruaris
Aeterni intuitu colloquioque patris:
Celi tuumque choro mistus, praeconia laudum
Digna DEO usque novis usque iterando modis,
Nunc imiteris avum, nunc patrem imitere canendo,
Portio celestis tu quoque sancta chori.
Nos verò, tua ne incestemus gaudia questu,
Gratemur potius gaudia tanta tibi:
Gaudia, fidentes ad quae aspiramus & ipsi,
Fidentes CHRISTI sanguine nempe DEI.
Gaudia, quae animos fidentium, flumine pleno,
Omnium inundabit summa perennè dies.
Hec ut iter celeret, solito, precor, ocyus orbem
Volvito Luna tuum, volvito Solque tuum.

Anagrammatismus.

Laurentius Biedermanus.

κατὰ μεταφορικῶς

Letum, res dura? Subi: inane.

Moriturus ad seipsum.

Res letum tibi dura? Subi id nece fretus JESU:

Mox victor, letum quàm sit inane, scies.

Indicium anni, mensis, diei, nec non hora
emortualis.

SoLe à progresso LeDæa In sIDera Denas

Partes, qVarta, reor, hora It, & astra peto.

Martinus Quelmaltius Coldiciensis.

ALIUD.

Heu fragiles hominum res! heu quàm plena
malorum, (num!

Hæc nostra est fallax & breve vita bo-
Heu lacrymosa dies, nimium miserabilis hora!

Quàm cecidit subito tam juvenile decus.

Quis queat infandum lacrymis æquare dolorem?

Unica quem fugiens sæpius hora facit.

Quàm cito LAURENTI, tibi tristia Numina Parce

Ante diem vitæ fila tenella secant.

Te doleo extinctum primo sub flore juventa,

Ingenij insignis dum bona signa dabas:

Si modò vita tibi paulò data longior esset,

Par fueras patri, parque futurus avo;

Magna tibi quoniam fuerat notissima Juris

Pars, & non patriæ degener artis eras.

Te fratres deflent, deflent sine fine sorores,

Et te deplorat tota paterna domus;

Sicut populeâ mæret philomela sub umbra,

Amisso fetus conqueriturque suos:

Sic tua te mater semper mæstissima mæret,

Præmissum natum conqueriturque suum.

Parcite vos lacrymis: non est revocabile quicquã,

Quod semel è terris abstulit atra dies.

Deploranda



*Deploranda magis mors est atque exitus horum,
Quos spes aeternæ nulla salutis alit.
Quod natum est mortale fuit, sine fine profectò
In terram redijt terra quod antè fuit:
Cum senibus juvenis per sepe, marita marito,
Cum docto sapiens, paupere dives obit.
Non obijt, sed saltem abiit LAURENTIUS ille
Vester, nunc fruitur colloquioque DEI;
Verus erat quoniam vera pietatis amator,
In Christum Sperans, justificante fide,
Siderea rursus quem vos cernetis in arce,
Tollet ubi nullus gaudia vestra dolor.*

Johannes Coppenius Servestanus.

A L I U D.


ERgo te comitem misit mors sæva parenti,
Nec suprema ejus caruit vox omine certo,
Qua te, LAURENTI, vicina morte citabat!
Augurij sic pondus habent præfagia vocum,
Languidulo posituri animã quas ore profundũ.
Quid nunc acta tibi prodest sine crimine vita?
Quid decus ingenij? vigilis quid cura laboris?
Nocturna quid jura manu versasse diurna?
Quid tibi majorum tituli atq; insignia profunt?
Materni quid nomen avi immortalẽ, patrisq;?
Quid

Quid juvenilis honos oris, sine vestéq; mentum?
Usque adeò immitis cuiquã mors parcere nescit.
Illa rapit juvenes, prima florente juvena,
Illa senes longis consumptos enecat annis,
Falce metens unã pariter juvenésque senésque.
Illa bonos nullo rapit & discrimine pravos.
Illa æquo pulsat pede celsa palatia regum,
Atq; casas inopum, cannãque & stramine tectas.
Hæc quoque te viridi, LAURENTI, sustulit ævo,
Mœrorémq; auxit viduæ luctúmque parenti.
Sed bene habet, vita quoniam es meliore super-
Ingeniúq; tui victura laude per ævum. (stes,
Vivitur hac homini, indomitæ sunt cetera mor-
tis.

Caspar Sigismundus Bersmanus.




Be 231



Dt.





Be 231.

8

96.

ULB Halle 3
002 690 756



56.

VD77







62. LXII.

65

Justa funeris, sive Parentalia
MEMORIÆ ET HONORI
JUVENIS ORNATISSIMI, CLARITATE generis, doctrina & virtute præditi, LAURENTII BIDERMANI, patri suo Viro clarissimo, J. U. Doctori, ac Cancellario quondam Anhalt. &c. cognominis, Magni illius D. MATTHÆI VVESENBERGII, ex matre Nepotis,
Facta
Versibus epitaphijs & epicedijs à Præceptoribus, condiscipulis, atque amicis, quorum sua singulorum Poematijs nomina sunt subscripta.
Vnà cum exemplo programmatis, sive indicio funeris, publicè proposito ab illustris gymnasij Servestani Rectore.

SERVESTÆ
Imprimebat Christophorus Vveida
Anno 1608.

63.)

